



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de
Coloniae Agrippinae, 1684

22. Exemptio an amittatur, si locus alteri uniatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

exemplum adferti, quæ si sit opus, peti poterunt à dicto Bruno. Quorum omnium hæc est ratio, quod bonorum translatio fieri dicatur cum omnibus eorum oneribus, & privilegiis, per l. 2. §. 1. ff. de privileg. cred. l. tempus in fin. ff. de re jud. Fel. c. quia iudicante sub finem de prescrip. Et ex d. cap. ad Apostolatus.

Pro cuius conclusionis uberiore disquisitione & confirmatione conferunt ea, quæ ex farragine infra citatorum Doctorum in hæc verba traduntur, Et quidem Philip. Francus in cap. cum persona §. si vero in fine de privileg. in 6. sic distinguit, Si quæritur (inquit) de Ecclesia translata, an desinat esse exempta quoad locum & ministros ibi remanentes, vel ad eam translata, & dic quod non, cum privilegium sit reale, & duret, ut in cap. privilegium de reg. jur. in 6. & ita procedit opinio Joan. nis Andr. Aut quæritur de Ecclesia non exempta, in quam est translata, & ministris ad eam translatis, & dicendum est, quod ipsa ex hoc non efficiatur exempta, vel ministri ad eam translati, ut tenuit ipse Lopus, cum exemptio non extendatur ultra quam verba disponant, cap. portò de privileg. Itaille, Rebuffus autem in praxi beneficiorum part. 1. tit. de translata. Episc. n. 26. Et seq. Effectus translationis est (inquit) ut translatus ab una Ecclesia ad aliam, desinat esse Episcopus, vel provifus illius primæ Ecclesiæ à qua transfertur ea, in apibus §. Eccle. 7. quæst. 1. Alius effectus, quod prior Ecclesiæ perdit privilegia, & in aliam Ecclesiam transferuntur glo. cap. si quis vult 16. quæst. 7. quod est verum, quando exemptio conceret personam, secus si privilegium esset reale, seu conceret rem l. 2. §. 1. ff. de privileg. cred. l. Ecclesia erit Immunis, sicut aliæ Ecclesiæ, ut per tot. tit. de Immunit. Eccles. & puto etiam (inquit idem Rebuff.) quod ministri qui Ecclesiæ primæ servant, erunt exempti, sicut ministri Ecclesiæ translatae cap. per exemptionem de privileg. in 6. Rebuff. d. tit. de translata. Episc. n. 19. Qua de re videatur etiam Lopus allegat. 68. incipit. quaris an liceat. Host. in sum. tu. de translata. n. 7. Jo. Andr. cap. cum persona de privileg. in 6. ca. decet de Reg. jur. in 6. c. dilectus de capell. Monach.

Q U Æ S T I O XXII.

Exemptio an amittatur, si locus alteri uniatur.

S U M M A R I U M.

1. Conclusio quæstionis pendet ex triplici specie unionis.

Quæstionem hanc prolixè examinat Joannes Andrea & Doctores cap. cum persona §. si vero de privileg. in 6. late glo. ubi Archid. cap. ex temporis 16. qu. 1. ex quorum omnium dictis elicio sequentes divisiones.

Ll 3

Aut

Aut duæ Ecclesiæ simul uniantur, aut una earum alteri unitur. Primo casu quælibet Ecclesia retinet sua statuta, & privilegia. Altero casu, Ecclesia amittit sua privilegia, & gaudet tanquam filia privilegiis Ecclesiæ matricis cui unitur, *facit text. cap. cum dilectus de his que vi metusve. ubi glo. ver. Ecclesia. Archid. d. cap. & temporaria.* Item quandoque ex duabus dignitatibus fit una, nec altera alteri subijciatur, eo casu omnia commiscantur, clericiq; unius, erunt clerici alterius, eritque unum collegium. Quandoque verò sic uniantur, ne una alteri subijciatur, & tunc quælibet Ecclesia suam exemptionem, suam dignitatem retinet, puta si utraque erat Episcopalis, utraque manebit talis, nec Canonici unius erunt Canonici alterius. *Archid. d. cap. & temporaria per text. cap. relatio 21. q. 1.* Alii tamen articulati magis distinguunt hoc pactum. Si Ecclesia quæ unitur, non sit specialiter exempta, sed idè quia Ecclesiæ totius Ordinis sunt exemptæ, ut sunt Cistercienses, tum per unionem censetur sublata exemptio, quia enim per unionem desunt esse de illo ordine, idè desinit etiam exemptio, quæ ratione Ordinis competebat, quod procedit, quando ordo superioris auctoritate sublatus est, vel in alium translatus, secus si deficient personæ vel loca. *Id. Andr. c. statutum de elect. in 6. in glo. pen. not. in reg. priv. eod. in 6. secundum Lupum notatam supra q. 19.* Si verò Ecclesia sit specialiter exempta, & tunc si ratione Ordinis cedat, epeto quæ jam dixi, sed si non sit exempta specialiter ratione Ordinis, sed simpliciter, distinguendum est, an Papa expresserit competere exemptionem (interrogatis, an non, & tunc si Papa rescribit in via juris communis, ut quia mandavit Ecclesiam de Religiosis alterius Ordinis reformari, & tunc dicitur exemptio, & eximitur surrogatos. Si verò rescripsit per viam gratiæ, ut quia Papa Ecclesiam concessit gratiose certo Ordini, vel collegio transferendo, vel uniendo. Item, si Ecclesiæ, vel collegia sunt ad invicem unita, ita quod una non subest alteri. Item si Ecclesia non exempta subijciatur Ecclesiæ exemptæ, durat exemptio respectu Ecclesiæ exemptæ, *cap. cum capella de privileg. lo. Andr. ubi supra.* Sed si una Ecclesia subest alteri, puta Ecclesiæ non exemptæ subijciatur exemptæ, durat etiam exemptio. *Id. Andr. ubi supra.* Et ipsa Ecclesia sic translata, assumit naturam exemptæ. *Lupus d. §. si verò not. c. 2. de relig. dom.* Ecclesia enim subiecta sortitur privilegia superioris, sicut filia matricis, *cap. recolentes de statu Monach. Hostiens. in summa ne sede vacan. n. 5.* Durat ergo exemptio ipsius Ecclesiæ, quæ primo erat exempta, *arg. c. decet de reg. jur. in 6.* At verò de Ecclesiâ, quæ non erat exempta, videtur dicendum, quod locus Ecclesiæ, & ministri ibi remanentes non fiant exempti. *arg. text. & glo. cap. 1. de privileg. in 6.* Cùm exemptio non sit extendenda ultra verba & personas in privilegio comprehensas, *c. sane s. porro extra eodem.* Quo ad ministros tamen in exemptam Ecclesiam translatos, bene extenditur exemptio. *cap. per exemptionem de privileg. in 6.*

Si verò Episcopalis sedes transfertur in inferiorem exemptam, eidemque unitur, per hoc Episcopus non erit exemptus. *late lo. Andr. d. §. si verò Host. in summa de*

ma de privileg. §. quis sit effectus. Si vero Ecclesia exempta uniatu Ecclesia non exem-
pta, & in eam transferatur, seu eidem subiciatur, durat exemptio, cum privile-
gium sit reale. per not. cap. privilegium de reg. jur. in 6.
Sed Lopus d. c. si vero contra, quare tunc Ecclesia exempta assumat naturam non
exempta in cap. super eo, de præb. in 6. & ita transit Petrus de Anchorano, & facit glo.
cap. ex temporis 16. q. 1.

Paucis, conclusio hujus quæstionis pendet ex specie, seu qualitate unionis, quæ
Doctorum omnium voto triplex est. glo. cap. 1. in sede vacante Rebuff. in praxi benefice.
par. 1. tit. de unionibus.

Prima, cum ex duobus beneficiis unum fit, utpote si sint duæ parochiales vicinæ
destructæ, uniri poterunt, ut una fiat ex duabus: eoque casu exemptiones, libertates
privilegia data uni, competent & alteri, ita quod quæ humaniora & rationabiliora
erunt, in altero servabuntur, & retinebuntur in unita. Sicut cum unitur actio bonæ
fidei, & stricti juris, aut legata cum fideicommissis, actio enim unita retinet ea quæ
meliora erant in altera actione. l. unica. C. de rei uxor. ad l. 2. C. communia de legat.
transferuntur enim omnia jura in Ecclesiam seu rem, cum fit unio, ita quod jura
nomine illius exerceri debeant. Faber. §. sed etiam n. 2. sub finem in situ. de fideicommissa-
riis hereditatibus, & §. in personam n. 1. de ad l. unica C. de rei uxor. ad l. 2. C. communia
de leg. in fin. o. medicamentum dist. 1. de pænit. c. non est culpandus 32. qu. 1. glo. d. ca. 1. ne
sede vacante, Rebuff. d. tit. de unionibus. num. 1. Barth. l. 1. §. si cohæredem ff. ad l. fatid. v.
Faber. d. §. in personam.

Secunda unionis species est, cum una Ecclesia alteri subicitur, & tunc illa Eccle-
sia, cui fit unio, erit superior, principalis verò unita erit inferior & accessoria. Rebuff.
d. tit. de unionibus n. 12. glo. d. ca. 1. Quo casu omnia privilegia quæ competunt Eccle-
siae principali, competent etiam Ecclesiae inferiori seu accessoriae, quæ unita est, late
Barth. l. si convenerit §. si nuda cum Apost. de pig. ad l. Curt. cons. 57. Alber. tract. de aug-
ment. conclus. 9. D. D. l. 1. de leg. 1. Rebuff. d. tit. de unionibus n. 57.

Tertia, cum fit æque principaliter, hoc est, cum fit unio duarum Ecclesiarum, ut
utraque scilicet remaneat Episcopatus, vel parochialis, sicut erat, & tunc utraque
Ecclesia dicitur æque principalis, sed unus erit Episcopus vel Rector utriusque Ec-
clesiæ, & tunc quælibet retinebit suas exemptiones, & sua privilegia, & statuta. glo.
& D. D. d. cap. §. luteris 16. quæst. 1. Barth. d. §. si nuda, Rebuff. ubi supran. 15. Quo in casu
Ecclesia minus digna, uniri non poterit digniori, nisi tamen accesserit specialis
Papæ autoritas, Rebuff. ubi supran. 17.

Quomodo autem cognoscatur, an accessoriè, an verò æque principaliter fit
unita, dubium est. Paucis id cognoscetur ex eo, quod minus dignum est digniori
annexum, illud enim dicitur accessorium, prout quoque, si expresse actum sit, quod
Ecclesia unita sit accessoria, & subiecta, cap. quod in dubis de consecrat. Eccles. arg.
§. si

§. si tamen inst. de ver. divis. Rebuff. ubi supra n. 19. vide Fel. cap. in nostra n. 30. de rescriptis. Si verò non appareat, quod alterum sit altero dignius, tunc dicitur unio æque principaliter facta, Panor. & DD. cap. extirpanda §. qui vero, de præbend. nisi de consuetudine aliud servaretur, quæ est optima rerum interpret, l. si de interpretatione. ff. de legib. Rebuff. d. tit. de unionib. n. 20. Fel. d. cap. in nostra, ubi clare & doctè.

Q U Æ S T I O XXII.

Utrum revocata unione, censentur etiam exemptiones restitutæ.

S U M M A R I U M.

- 1. Revocatio unionis sapit restitutionem in integrum.
- 2. Qualitas per unionem extincta, reviviscit non facta hominis sed legis.

VTique, nam revocatio unionis se habet aliqua ex parte ad instar restitutionis in integrum, per tex. cap. 1. in verb. monasterium vestrum reduceremus in statum antiquum, ubi DD. ne sede vacante Petr. de Perusio tract. de revocat. unionis. c. 7. n. 4. vers. sed juxta. Rebuff. in praxi benef. par. 1. tit. de union. revoc. num. 43. Bald. c. imperiali n. 10. vers. quid ergo, de pace const. Per quam omnia reducuntur in veterem statum, ita ut quantum abstulit unio, tantum etiam reddat illius revocatio. arg. l. q. od si minor §. restitutio ff. de minor. l. unica C. de repuit. que fiunt. glo. d. cap. 1. Unde elicita est concors doctorum regula: Cujus conditionis, & qualitatis erat Ecclesia ante unionem, illius ejusdem conditionis, & qualitatis fiet, seu redintegrabitur unione revocata, DD. cap. 1. Petrus de Perusio. d. cap. 7. num. 1.

Hinc, si Ecclesia unita antea erat sub Patrono, dissoluta unione jus patronatus redibit ad Patronum. Item si Ecclesia erat sine cura, aut curata, Baptismalis, collegiata, secularis, regularis, per dissolutionem ejusmodi unionis recuperabit istas primævas qualitates, Perusio ubi supra. Rebuffus ubi supra n. 8. & seq. Nec obstat, quod qualitas per unionem extincta, ad instar actionis reviviscere non possit, arg. l. qui res §. aream ff. de solut. l. Marcus §. duobus, de leg. 2. l. homo liber ff. de statu hominum.

Quia qualitas per unionem extincta reviviscit non facta hominis, sed ex dispositione legis, d. cap. 1. Perusio d. cap. 7. n. 7. Porro, quod sub initium dixi, dissolutionem unionis se habere aliqua ex parte ad instar restitutionis, id idem est, quia revocatio non trahitur retro ad tempus factæ unionis, sed consideratur habito respectu tantum ad tempus revocationis. Idcirco gesta ante revocationem, ope restitutionis non irritabuntur, Perusio d. cap. 7. n. 4. & 5. Huic quaestioni inserviunt quæ supra hæc eadem parte attuli, quæst. 20. quæ nolo hic repetere.

Q U Æ